



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

10. Ex condonatione extrinseca peccati nostra veritas probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

tationem, quando est oportuna, sit perfectionis, tamen quando necessaria non est non posse sine illa ordinate medium ad finem non pertinere ad perfectionem, sed potius ad limitationem dominij, & potestatis, tum quia sæpe ordinatio in finem, nec requirit, nec admittit talem mutationem ut patet in exemplis positis supra, & in eo quod Scriptura dicit, propter electos breuiabuntur dies illi, quæ enim specialis mutatio fieri potuit in illa temporis præfinitione propter electos, quæ sine hoc fine fieri non posset.

181 Tum etiam quia vel facta illa mutatione, res manet intrinsece, ac necessario ordinata in talem finem, vel adhuc finis est extrinsecus; si primum dicatur, reuera Deus nunquam ordinat proxime rem aliquam in extrinsecum finem; neque ad hoc habet libertatem; quod est summum absurdum; si vero dicatur secundum: ergo necessaria est noua ordinatio libera, quæ non habet specialem mutationem. Tum denique, quia in his, quæ natura sua videntur per se ordinata; ut sunt verbi gratia, supernaturalis gratia, & gloria est necessaria voluntas quasi elicitæ directæ tendens in ipsum finem, quia Deus non dicitur intendere finem solum, quia vult rem quæ natura sua tendit in talem finem; nam hic est imperfectus modus operandi propter finem: ergo necesse est, ut ipsum finem in se directæ vellet, unde posset Deus alicui dare gratiam sine vilo proposito, neque efficacia, neque inefficacia dandi gloriam, imo cum proposito nunquam dandi illam, sed solum conferendi gratiam propter actus virtutis, & propter intrinsecam perfectionem eius: ergo etiam in his, quæ videntur per se ordinata dare vnum propter aliud est specialis voluntas libera Dei, cui noua mutatio non respondet.

182 Rationem autem à posteriori sic formo; quia voluntas creata potest hoc modo operari, & referre media ad finem: ergo multo magis hoc potest voluntas diuina. Antecedens constat; quia eandem actionem dandi aliquid potest voluntas humana velle, & imperare ex intentione huius vel illius finis absque eo quod actio illa alia sit, vel aliter fiat in re, ac physice; sed solum moraliter per denominationem ab actu voluntatis; consequentia autem probatur, quia hoc pertinet ad perfectionem diuinæ voluntatis, ut eminentiori modo possit quicquid creata voluntas potest, quod imperfectionem non includat.

183 Dices, hoc contingere in humana voluntate, quia efficit diuersos actus, quibus exterioriorem actionem potest in diuersos fines referre, & ita ab eis potest denominari exterior actus ordinatus in hunc, vel illum finem; quod in voluntate diuina non habet locum.

184 Sed contra, quia in hoc consistit eminentia diuinæ voluntatis, ut sine his imperfectionibus possit quicquid creata voluntas recte operans cum illis potest, præcipue cum non sit perfectior creata voluntas in exercitio suæ libertatis.

SVBSECTIO X.

Ex condonatione extrinseca peccati nostra veritas probatur.

185 **P**robatur primo, quia ad remissionem peccati habitualis requiritur volitio diuina, seu decretum liberum remittens tale peccatum habituale; quia iniuria diuina, quale est tale peccatum, non

potest condonari sine decreto libero Dei remittente illud, & condonante ipsum; sed ad decretum illud remittens, & condonans non sequitur, & ut melius loquar per potentiam Dei absolutam potest non sequi mutatio physica intrinseca in peccatore, cui diuinitus remitteretur, & condonaretur tale peccatum, licet de facto sequatur mutatio physica; quia coniungitur cum priuatione gratiæ habitualis: ergo tale decretum essentialiter non constituitur per mutationem physicam; nam si essentialiter constitueretur per illam adhuc de potentia Dei absoluta non posset repetiri sine illa; quia res sine constitutio essentiali adhuc diuinitus non potest consistere, ut homo sine anima rationali. Minor sic probatur, quia eo modo requiritur mutatio ad destructionem alicuius, quod potest per se destrui & non per accidens, quo est ipsa res, quæ destruitur per talem mutationem: sed peccatum habituale, quod destruitur, est solum adæquate, & totaliter ens morale sine vlla ratione physica: ergo sola mutatio moralis requiritur ad peccati destructionem & minime physica intrinseca. Maior est certissima; quia si res, quæ destruitur, est extrinseca solum, requiritur duntaxat mutatio extrinseca in subiecto, in quo talis ratio destruitur, & ideo ut in aliquo destruantur esse visum, esse intellectum, esse amatum, esse dexterum, non requiritur mutatio intrinseca in subiecto, sed sufficit mutatio extrinseca; unde homo, qui de visio transit in non visum, & de dextero transit ad non dexterum, non transit intrinsece, sed extrinsece; atqui transitus ille est mutatio: ergo per mutationem extrinsecam mutatur de visio ad non visum, cum autem per talem mutationem, aut transitum destruat res illa extrinseca, emittenter sequitur rationem extrinsecam destrui per mutationem extrinsecam sine mutatione vlla intrinseca.

Item, quia debitum quod resultat ex iniuria facta alicui, vel ex promissione, aut pacto iustitiz contractum est debitum morale, & quia seruitus & dominium sunt rationes morales, destruantur per solum mutationem moralem, ut videre est in toto regno Galliarum, ubi nulla datur seruitus mancipij in persona catholica, quod adeo verum est, ut si aliquis catholicus, qui mancipium sit, ingreditur Galliarum regnum, statim extinguitur illa ratio seruitutis, & mancipij non per mutationem physicam, in mancipio intrinsecam, sed per mutationem duntaxat moralem: quod patet euidenter, quia talis mutatio sit per legem, quæ in Gallia introducta, & stabilita est: atqui lex est tantum causa moralis, & non physica: ergo mutationem physicam non potest efficere, quia id quod non habet aliquod esse, non potest producere, & causare illud: ergo si lex non habet esse physicum in esse legis, non poterit causare mutationem physicam, sed tantum moralem, ac proinde per solum mutationem moralem destruetur ratio seruitutis, quod etiam patet in iniuria condonata ab vno homine respectu alterius, cuius debitum destruitur in iniuriante, non per mutationem physicam intrinsecam factam in ipso, sed solum per mutationem moralem.

Tandem si res, quæ destruitur per se sit intrinseca physica, ut est intellectio in intellectu, aut vnio animæ rationalis in homine, non potest destrui per solum mutationem, aut moralem, aut extrinsecam, sed necessario est mutatio intrinseca, & physica in illo, in quo destruitur ratio intrinseca, & physica.

Ratio autem à priori est, quia mutatio accipit esse,

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 327

esse, & denominationem ab eo, quod destruitur per talem mutationem, & ideo mutatio, per quam destruitur homo, vocatur mutatio substantialis, & mutatio, per quam destruitur accidens, vocatur corruptio accidentalis: ergo euidenter sequitur eo modo debere esse mutationem, per quam destruitur aliqua ratio, qualis fuerit ipsa ratio destructa per talem mutationem.

189 Vrgetur, & explicatur amplius ex ipsis aduersariis, ideo enim in sententia Patris Vasquez peccatum originale, potest extingui, si formaliter sumatur, & non ut nunc contrahitur, & quatenus includit priuationem gratiae habitualis, sed si aliter esset dispositum, quia peccatum originale sic formaliter sumptum est mortale quid in anima, & non includit rationem aliquam physicam, & quia nunc includit priuationem physicam gratiae, non potest villo modo destrui nisi per mutationem physicam: ergo eo modo, quo fuerit res, quae destruitur, debet esse mutatio, per quam destrui dicitur.

190 Minor prima & praecipua, in qua est tota difficultas, sic probatur; quia si in peccato habituali daretur aliqua ratio physica, ratione cuius non esset peccatum adaequatum, & totaliter morale, aut esset aliqua ratio positua, aut priuatiua, sed neque positua, nec priuatiua physica: ergo nihil est in peccato physicum, ac proinde tota ratio erit moralis. Minor quoad primam partem de positua est euident, quia in peccato habituali nihil datur, nisi macula, dignitas ad poenam per aduersarios, & iniuria contra Deum offensum, quae possint esse positua ratio, sed haec omnes rationes solum sunt morales, & minime physicae, quod sic patet, quia macula illa, dignitas, &c. quae in peccato habituali reperiuntur ratione peccati actualis relinquuntur, sed peccatum actuale non produxit, aut reliquit in animo aliquid posituum, quod remanere possit habitualiter: ergo macula, dignitas, &c. quae relinquuntur ratione peccati actualis, non sunt ratio positua physica. Minor haec sic probatur, quia peccatum actuale, aut est commissionis, aut omissionis; peccatum autem omissionis, ut priuatio nihil potest producere posituum in animo physicum; quia in priuatione nullo modo continetur entitas positua; cum autem causa non possit dare quod non continet, aut producere quod non praehabet, inde est quod priuatio non possit producere aliquid posituum physicum.

191 Peccatum autem commissionis est actus vitalis: atqui actus vitalis peccaminosus non potest producere, nisi habitum vitiosum, qui minime est macula, neque iniuria Dei, ac proinde non est peccatum habituale: ergo peccatum commissionis nihil posituum physicum potest relinquere, aut producere, quod possit esse peccatum habituale.

192 Vrgetur, & explicatur amplius, quia macula, & iniuria Dei non remanent, nec relinquuntur in anima ratione boni, quod est in actu peccati commissionis, quodque materiale dicitur & est positua entitas, quia existente eodem positua actus peccati, si detur ignorantia inuincibilis aut inadvertentia, non relinquuntur iniuria Dei, aut macula peccati, sed ratione formalitatis peccati, quae est malum formaliter, & quo maculatur ipsa anima, relinquuntur habitualis macula, & iniuria Dei: atqui talis formalitas aut est priuatio, ut in nostra sententia, & sic nihil posituum potest producere, ut iam dixi; aut est ens rationis, ut multi ex aduersariis asserunt; ens autem rationis non potest producere ens reale posituum physicum; ut

de se patet, quia in ente fictio non continetur ut in causa ens reale verum; aut est denominatio extrinseca quae ut talis nullum esse intrinsecum physicum posituum potest producere, ut immediata, & formalis causa, licet esse possit conditio, sine qua non causa producat, ut videre est in approximatione agentis ad passum, quae quia denominatio extrinseca est, non potest esse ratio producendi, sed solum conditio: ergo peccatum actuale nullo modo potest producere, neque ratione illius potest produci, manere, aut relinqui in anima ratio positua intrinseca, physica, & realis, quae macula, iniuria, & dignitas ad poenam sit. Item neque est priuatio physica; nam interrogo ab aduersariis, cuius priuatio physica sit?

Respondent, esse priuationem gratiae habitualis.

Sed contra primo, quia si peccatum habituale 193 diceret priuationem gratiae habitualis, nullo modo posset tolli, adhuc de potentia absoluta, nisi per solam infusionem gratiae habitualis; quia priuatio vnius formae nec diuinitus potest tolli, nisi per formam, cuius priuatio est manente subiecto, in quo datur talis priuatio, verbi gratia manente aere, nec de potentia absoluta Dei possunt tolli tenebrae, quae sunt priuatio lucis, nisi per solam informationem lucis in aere, & ratio euidentis a priori est, quia priuatio lucis est absentia lucis in aere; atqui adhuc si per potentiam Dei absolutam non ponatur lux in aere, etiam si ponatur quaecunque alia forma, abest lux ab aere, ac proinde datur absentia lucis in aere; unde necessario priuatio lucis: sed per aduersarios potest tolli peccatum habituale diuinitus non solum per infusionem habitus, sed etiam per infusionem actus supernaturalis, ut asserit clarissime P. Vasquez 2. tom. 1. secunda disput. 207. cap. 1. num. 8. §. Respondeo, his verbis: Restat igitur ut asseramus, mutationem peccatoris, quam diximus esse necessariam, ut deleatur peccatum mortale illius, debere esse ad formam supernaturalem, non quaecunque, sed eam, quae ex se sufficiat constituere hominem iustum, sanctum, & amicum apud Deum; qualis est iustitia inherens, & infusa; siue illa sit habitus, siue actus, qualem diximus esse contritionem dilectione charitatis formatam; sic ille: ergo peccatum habituale non dicit priuationem gratiae habitualis. Nec etiam dicit priuationem gratiae actualis, quia etiam ipse P. Vasquez asserit, posse peccatum habituale diuinitus tolli per solam infusionem gratiae habitualis sine actu aliquo ex parte peccatoris.

Secundo contra; quia si in peccato daretur secundum se priuatio gratiae, aut habitualis, aut actualis, lumine naturae cognosci non posset; sed hoc est falsum, cum peccati grauitas lumine naturae cognoscatur, cognitaque fuerit a Philosophis Ethicis, ut patet ex Aristotele, qui libris Ethicorum latissime egit de peccatorum grauitate; quod etiam liquet ex Seneca innumerabilibus in locis suae Philosophiae, & epistolatum ad Lucil. ex Epicteto Philosopho, Plutarcho, Platone, & aliis, & quod caput est, patet manifeste ex toto iure civili, quo dromanorum Ethicorum tempore conditum est; in quo innumerabiles poenae ponuntur contra peccata, & scelera, ubi grauitas poenae secundum gradus assignatur grauitati culpae.

Tandem efficacius patet ex Decalogo, qui lex 195 naturalis vocatur, ratione cuius peccatum, quia est contra ipsum seu contra legem naturalem vocatur ab omnibus Doctoribus etiam aduersariis, (ut

(vt ex à me dictis late materia de peccatis patet, disputat. 1. de oppositione peccatorum cum ratione, quest. 4. in quo consistat oppositio peccati cum conscientia, & cum lumine naturæ,) quapropter D. Paulus vocat Ethnicos inexcusabiles, quia sese peccatorum cæno ingurgitauerint, renunciauerintque rationi naturali; verba Pauli continentur loco illo sæpe citato à nobis, [inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, &c. epist. ad Rom. c. 1.] ergo signum euidens est peccatum non includere tanquam prædicatum essentiale formale gratiæ sanctificantis supernaturalis priuationem. Maior sic probatur; quia nulla priuatio potest cognosci impossibili existente cognitione formæ, cui opponitur, vt de se patet; quomodo enim potest cognosci cæcitas, si sit impossibilis cognitio visus, & ratio est, quia totum esse priuationis est in ordine ad formam oppositam, quæ priuat; sed impossibile est quod lumine naturali cognoscatur gratia sanctificans, & actualis gratia supernaturalis ab aliqua creatura: ergo impossibile est lumine naturali cognoscere priuationem gratiæ sanctificantis ac proinde peccatum, quod per vos constituitur per priuationem gratiæ sanctificantis. Minor hæc sic probatur; quia obiectum supernaturale essentialiter, & intrinsece est supra omnia principia naturalia: ideo enim lumine naturali non potest cognosci mysterium Trinitatis, quia est supernaturale, ac proinde supra omnia principia naturalia, & ideo etiam, vt fide sanctum est contra Pelagium viribus naturæ non potest creatura operari actum contritionis supernaturalem, neque comparare gratiam habituales, quia est supernaturalis, ac proinde supra omnia principia naturalia; sed cognitio naturalis est secundum principia naturalia, & profecta ab illis: ergo quod est supernaturale intrinsece & essentialiter est supra omnem cognitionem naturalem, ratione cuius impossibile erit cognosci, & attingi lumine naturali.

196 Dices, peccatum esse priuationem physicam gratiæ, & priuationem rectitudinis moralis, cognosque vt huic opponitur, licet non cognoscatur, vt opponitur gratiæ.

197 Sed contra primo: ergo non cognoscitur peccatum essentialiter; patet hæc consequentia, quia non cognitio prædicato essentiali alicuius, etiam si alia cognoscatur, non cognoscitur illud, quod per tale prædicatum essentiale essentialiter constituitur, verbi gratia, si aliquis homo à longe videatur, etiam si in ipso cognoscatur ratio entis, & substantiæ corporeæ, non tamen cognoscitur homo, quia non cognoscitur ratio animalis rationalis, quod est prædicatum essentiale hominis; essentia enim, vt ait Aristoteles, est sicut numerus, quæ per ablationem, vel additionem alicuius prædicati essentialis mutatur, vt numerus ita vt iam non sit illa essentia, sed alia; atqui per vos non cognoscitur in peccato priuatio gratiæ sanctificantis, quæ est prædicatum essentiale peccati; ergo non cognoscitur peccatum.

198 Secundo contra, quia vna priuatio physica non potest physice opponi formaliter duplici formæ non subordinatæ; sed vnum peccatum mortale, verbi gratia, homicidium, aut furtum est vna priuatio speciei infimæ: ergo nequit opponi gratiæ, & iustitiæ, quæ sunt duæ formæ speciei non subordinatæ. Minor hæc sic probatur; quia vnum speciei infimæ & indiuiduum peccatum vnam indiuiduam speciei infimæ formalitatem debet habere, præcipue si talis formalitas est completa in sua ratione, sed priuatio rectitudinis est vna forma-

litas completa, ideoque illa sola complet peccatum mortale actuale: ergo peccatum solum habet pro ratione formali priuationem rectitudinis; aut dissonantiam contra rationem vt Pater Vasquez asserit, & non simul priuationem gratiæ habituales, alias idem subiectum duplici completa ratione formali essentialiter constitueretur in esse talis, quod est absurdum.

Explicatur amplius quia tota essentia, & formalitas peccati habitualis formalissime sumpta debet per vos mensurari ex formalitate peccati actualis, quia ratio formalissima peccati habitualis est ipsum peccatum actuale formalissimum moraliter permanens, aut est id quod relinquatur moraliter ex vi formalissimæ rationis peccati actualis; sed in peccato actuali formaliter sumpto non datur duplex formalitas, dissonantia videlicet contra rationem, vel priuatio rectitudinis, & simul priuatio gratiæ habitualis: ergo similiter in peccato habituali formaliter sumpto non datur duplex formalitas adæquata, dissonantia contra rationem videlicet vel priuatio rectitudinis, & simul priuatio gratiæ habitualis, vel actualis gratiæ supernaturalis.

Dices, subordinari in genere quatenus conueniunt in ratione boni, gratiam videlicet sanctificantem, & rectitudinem seu rationem naturalem, cui opponitur dissonantia, ac proinde etiam subordinari duplicem priuationem rectitudinis, & gratiæ habituales, &c.

Contra; quia hæc etiam ratione subordinantur iustitiæ & fortitudo, & tamen non ideo homicidium priuatiue physice opponitur fortitudini, & iustitiæ: ergo similiter peccatum habituale non opponitur priuatiue physice rectitudini, & gratiæ habituali ex eo solum quod conueniant sub ratione boni vt sic.

Deinde, quia conuenientia duorum in ratione communi non est propria sub ordinatio, alias leo, & equus quia conueniunt in ratione animalis subordinarentur essentialiter, quod est falsissimum: ergo similiter ex eo quod priuatio gratiæ, & priuatio rectitudinis conueniant in ratione priuationis vt sic, non subordinantur; sed demus subordinari essentialiter, nihilominus non subordinantur tanquam rationes incompletæ, & partiales constituentes vnam rationem completam gratiæ, & rectitudinis, & per consequens neque vtriusque priuatio subordinantur, vt rationes incompletæ, sed potius subordinantur vt completæ: ergo ratione talis subordinationis non sufficiunt ad constituendam, neque possunt constituere vnam entitatem, neque vnum peccatum, v.g. homicidium; hæc consequentia sic patet euidenter; quia scientia subalternata, & subalternans subordinantur essentialiter, & nihilominus quia talis subordinatio est rerum completarum ex talibus scientiis subalternante, & subalternata non potest constitui vna specie infima scientia: ergo similiter etiam si gratia, & rectitudo subordinentur essentialiter, ratione cuius etiam vtriusque priuatio habeat subordinationem talis subordinatio non sufficit ad constituendam vnam infimam specie formalitatem; quia talis subordinatio est rationum completarum.

Vltimo contra, quia peccatum mortale v.g. homicidium est nunc eiusdem rationis quoad formalitatem rationem suam, ac esset in pura natura, si homines in illa conditi essent; sed peccatum in pura natura non diceret priuationem gratiæ sanctificantis: ergo neque nunc dicit priuationem illius quoad formalitatem, & essentialitatem rationis

nem peccati. Maior est certa; quia peccatum mortale non variatur quoad essentiam, & praedicata essentialia, sicut neque reliqua rationes per solam imputationem extrinseci status, & per solam extrinsecam denominationem ordinationis hominis ad finem supernaturalem beatitudinis; quia denominationis illa extrinseca minime conducit ad rationem essentiali intrinsecam & formalem peccati mortalis, ac proinde ablatio denominationis illius non tollit rationem formalem peccati, sed potius per accidens se habet ad illam; sicut verbi gratia, esse dexterum in pariete, aut esse visum per accidens se habent ad destrudendam, & mutandam rationem formalem albedinis existentis intrinsece in pariete; ex eo quod esse dexterum vel esse visum sunt denominationes extrinsecae in pariete, ubi est intrinseca ratio albedinis, sed homo peccator, qui nunc est, solum addit supra hominem peccatorem existentem in pura natura ordinationem illam extrinsecam Dei per actum ordinantem illum ad beatitudinem, propter quam ordinationem dicitur eleuatus homo ad ordinem gratiae, & finis supernaturalis per auxilia diuina providentia preparata, ratione cuius habet debitum habendi gratiam habitalem; quia adiutus est inuimine supernaturali auxiliorum Dei: ergo peccatum mortale est eiusdem rationis nunc in homine peccatore quoad intrinsecam rationem, & formalitatem eius; praecipue, quia homicidium, furtum, & alia id genus peccata adaequate prohibentur lege naturali; unde lex Decalogi formaliter est lex naturalis, & sic naturaliter prohibet omnia illa peccata, & ratio est quia illa adaequate quoad essentiam, & praedicata essentialia formalissime, & immediate opponuntur naturali conscientiae, lumini rationis, & rectitudini naturali: ergo euidenter sequitur formalissime adaequate, & essentialiter nihil includere supernaturale, neque respicere immediate aliquid supernaturale, sed potius adaequate, & totaliter consistere in sola distantia, aut priuatione rectitudinis naturalis: ergo eiusdem speciei intrinsece, & formalissime esset peccatum in pura natura, ac est nunc in statu eleuationis; & ratio est manifesta, tum quia si includeret aliquid supernaturale non prohiberetur adaequate & totaliter lege naturali; quia naturale nec prohibet, nec directiue, aut praecipitiue attingit aliquid supernaturale, quia supernaturale est supra omnia principia intrinseca naturalia; tum etiam, quia ad peccatum prohibitiue contentum in Decalogo, faciendum secundum omnem grauitatem illius essentialis sola lux naturalis, & vires naturales sufficient. 203

Vnde Ethnici qui nulla illuminatione supernaturali illuminati fuerunt ducti tamen lumine naturali ipsaque cognoscentes furtum, & alia id genus peccata, ipsaque facientes, operique, aut exequutioni mandantes, & vsque ad mortem perseverantes in peccatis, essentiali poena damni aequaliter puniuntur cum catholicis notitiam habentibus de rebus supernaturalibus; sed poena damni, quae consistit in carentia visionis, & amoris supernaturalis correspondet essentiae peccati adaequate: ergo essentialiter, & adaequate, seu totaliter peccatum commissum est ab illis Ethnicis & in hoc aequaliter se habuerunt cum catholicis; quia alias essentialis poena non corresponderet aequaliter catholicis, & Ethnicis, quia inequali culpa non potest correspondere aequalis poena; quia

I. P. Tom. II.

iam index iniuste procederet; vnde Ethnicos ultra condignum puniret; sed non iniuste procedit Deus puniendo aequali essentiali poena, sed iustissime: ergo euidenter sequitur aequalem quoad essentiam culpam commississe Ethnicum, & catholicum; & nihilominus Ethnicus nullam notitiam habebat priuationis gratiae: ergo manifeste sequitur, priuationem gratiae non ingredi essentiam peccati; quia si ingrederetur non imputaretur tota grauitas essentialis Ethnico; quia id solum imputatur ad poenam, quod voluntarie committitur, & id voluntarie committitur, quod cognoscitur, quia voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: atqui Ethnici non cognoscebant priuationem gratiae supernaturalis, eo quod gratiam ipsam non cognoscebant, neque in notitiam gratiae supernaturalis venerant: ergo peccatum commissum quoad priuationem gratiae erat illis inuoluntarium, & non liberum, ac proinde quoad illam rationem non deberet imputari illis ad poenam, unde si priuatio gratiae est pars essentialis, seu inadaequatum essentiali constitutioni peccati, inadaequate tantum debet peccatum illis imputari ad poenam, ac per consequens non deberet poena adaequata essentialis peccati, quae infligitur catholicis, illis infligi, sed secundum iustum iudicium Dei adaequata essentialis poena infligitur vtrisque: ergo euidenter sequitur in culpa fuisse essentialiter aequales, ita vtrisque aequaliter fuerit adaequata essentia peccati voluntarie commissa, ac proinde aequaliter essentialiter cognita quoad essentiam; sed non fuit aequalis culpa tam in cognitione, quam in voluntaria commissione secundum priuationem gratiae supernaturalis: ergo poena, & manifeste sequitur, priuationem gratiae non ingredi constitutionem essentiali peccati, sed potius sine priuatione tali adaequate consistere essentialiter peccati malitiam.

Quod autem aequalis poena essentialis tam catholico, quam Ethnico, imo quam paruulo peccato solum originali infecto infligatur, manifeste patet, quia poena damni essentialis, & correspondens essentiae peccati nihil aliud est, (vt inquit Diuus Thomas *quaestione octogesimaseptima articulo quarto in prima secunda*, & quod caput est, ita à tota Ecclesia, tanquam dogma fidei admittitur) quam totalis & adaequata carentia beatitudinis supernaturalis; itaque omnes damnati totaliter, & adaequate carent in facto esse beatitudine supernaturali, & ipsa adaequate, ac totaliter priuantur; sed in priuatione adaequata, & totali in facto esse non datur magis, & minus; vnde vnus mortuus non est magis mortuus, quam alius, quia mors est priuatio totalis adaequata in facto esse vitae; nam priuatio totalis, & adaequata excludit quicquid est formae oppositae: sed in tali exclusione non potest dari magis & minus; quia illa exclusio est omnis exclusio; in omni enim, quod includit, quicquid est illius generis, non datur magis, nec minus: ergo in priuatione totali, & adaequata quae est omnis exclusio formae non datur magis, & minus: sed poena damni in quocunque damnato est omnisexclusio totalis, & adaequate beatitudinis: ergo in poena damni respectu omnium non datur magis, ac minus, ac proinde omnes damnati tam Ethnici quam catholici sunt aequales in poena essentiali correspondenti essentiae culpae; & sic omnes erunt aequa-

I t les

les in essentia culpæ, licet non sint æquales in aliis accidentibus culpæ; quibus correspondet pœna sensus; ratione cuius magis pœnæ sensus infligitur Catholico, quam Ethnico ratione voluntariæ amissionis gratiæ, quæ non constituit essentialiter culpam, sed accidentaliter.

Minor liquet, quia homo in pura natura non esset eleuatus ad ordinem supernaturalem gratiæ, ut ex ipso nomine puræ naturæ constat; ac proinde non haberet debitum, seu obligationem habendi gratiam habitualement; unde carentia illa gratiæ, quam haberet, non esset per modum priuationis, neque carentia debite formæ; sicut carentia, quæ datur nunc in homine viatore videndi Deum, non est per modum priuationis, sed negationis proximæ, ac formaliter, unde nullo modo esset ei peccaminosa, nec deberet imputari ei ad culpam; unde peccatum habituale mortale minime includeret essentialiter in pura natura priuationem gratiæ formaliter, in quo nulla dubitatio potest reperiri, ac proinde neque nunc debet includere formaliter, & essentialiter illam, quia nunc peccatum commissum, & tunc perpetratum quoad prædicata intrinseca, & essentialia essent eiusdem speciei: ergo nihil physicum includit peccatum essentialiter, unde non erit physica mutatio in peccatore necessaria ad destructionem peccati habitualis.

²⁰⁴ Quod amplius vrgetur in eo casu, in quo homo haberet gratiam habitualement cum peccato supponendo id, quod materia de peccatis *disp. 1. q. 6.* late probauimus, posse videlicet Deum conseruare gratiam non obstante peccato mortali, qui casus maxime extrinsecus est ad præsentem questionem, ac proinde ad intelligentiam formalissimam huius questionis sine inconuenienti potest supponi: ex hoc enim supposito certissime conuincitur maculam relictam ex peccato actuali non includere physicam priuationem gratiæ, quomodo ergo formæ & priuatio eiusdem possent esse simul, adhuc diuinitus in eodem subiecto; unde non est necessaria infusio gratiæ habitualis diuinitus ad expulsionem peccati; nam in dicto casu, in quo nollit Deus priuare habitu gratiæ hominem actu peccantem per eandem gratiam ibi conseruatam sine noua intrinseca mutatione posset peccatum remittere, vel immediate post cessationem ab actuali peccato, vel post aliquod tempus ab ipso Deo præscriptum; nam si Deus pro tempore, quo peccatum committitur, desuisset conseruare habitum gratiæ postea infundendo eundem habitum sine vilo actu peccatoris, vel immediate post actum peccatum, vel denique post aliquod tempus Dei arbitrio præscribendum, posset ipse illud peccatum expellere: ergo idem potest facere per eundem habitum conseruatum; quia non est minus dignus, & potens habitus hic conseruatus, quam de nouo infusus ad remissionem peccati.

²⁰⁵ Dices verum esse quod mutatio physica non sit necessaria ex eo quod peccatum includat priuationem gratiæ, sed solum ex eo capite ut tale peccatum constituatur in statu, in quo remissibile sit; nam peccatum quandiu est voluntarium est irremissibile, & ideo fieri non potest, ut actuale peccatum quandiu durat, remittatur; postquam autem peccatum commissum transit, semper manet voluntarium, quandiu homo, qui illud commisit, voluntatem circa illud non mutat per retractionem; non potest autem voluntatem

suam retractare nisi per mutationem physicam actus voluntatis à se procedentis, & ideo peccatum in eo statu permanens semper est irremissibile: ecce solutio tutissima aduersariorum & ut ipsi aiunt suæ felicitatis palladium.

Sed contra, & subito ruit suo ipso pondere huius solutionis perfugium; quia ex hac responsione sequitur euidenter non posse remitti peccatum adhuc diuinitus sine actu peccatoris, etiam per infusionem habitualis gratiæ sanctificantis; quod est aperte contra ipsos aduersarios; nam Pater Vazquez asserit *1. 2. q. 113. disp. 207. cap. 3.* imo data opera probat his verbis; [sola infusione gratiæ habitualis sine alia dispositione, & actu remitti posse à Deo peccatum mortale, quod probabilior opinio fert.] & paulo post immediate sic ait: [si recte expendantur ea, quæ *disputatione* 202. 203. 204. à nobis dicta sunt, necessario videtur dicendum, posse Deum sola infusione gratiæ habitualis, si vellet eam infundere peccatori, absque vlla dispositione actus, videlicet remittere totam peccati maculam;] quod latissime probat *toro illo capite 3. capite vero 2. antecedenti*, hac profert: [Cum duplex sit à nobis assignata forma, per quam homo possit fieri vere iustus, & sanctus coram Deo, nempe habitus gratiæ, & charitatis, & actus dilectionis, consequenter videtur dicendum, posse omnem maculam peccati actionis deleri, aut solo habitu gratiæ infusæ, aut sola dilectione Dei] sic ille.

Quod autem non possit remitti peccatum, supposita illa solutione per solam infusionem gratiæ habitualis sine actu peccatoris, sic patet, quia per vos ad delendum peccatum est necessarium per voluntarium oppositum actus retractare voluntarium peccati; atqui voluntarium ut patet ex eius definitione ab aduersariis tradita, & in omni schola recepta, est à principio intrinseco cum cognitione; id est debet procedere ab ipso respectu cuius voluntarium est, infusio autem gratiæ habitualis non est à peccatore tanquam à principio intrinseco producente, & minus est actus ipsius peccatoris; sed tantum est habitus in illo receptus, & à solo Deo actiue infusus: ergo infusio gratiæ habitualis non est voluntaria, & multo minus voluntaria per modum actus, præsertim, quia gratia potest infundi in homine dormiente: ergo illa non est retractatio voluntaria peccati, ac per consequens non sufficit, ut peccatum constitutur in esse remissibile, donec adueniat actus, qui est proprie, & perfecte voluntarius retractans ipsum peccatum commissum.

Dices, infusionem gratiæ non esse voluntariam formaliter, esse tamen voluntariam eminenter.

Sed contra est, quia ea quæ opponuntur in ratione formali requisita ad aliquod esse, non possunt ita se habere, ut vnum contineat eminenter alterum: sed infusio gratiæ opponitur ex diametro & directe rationi formali voluntarij: ergo infusio gratiæ non continet eminenter rationem voluntarij, ut voluntarij. Maior est euidentia in omni genere oppositorum, vna enim relatio creata v.g. Paternitatis, quia relatiue opponitur filiationi non potest continere eminenter filiationem, & quia lux opponitur priuatiue tenebris, & calor est contrariè oppositus frigiditati, neque lux continet eminenter tenebras, neque calor frigiditatem, sicut propter eandem rationem curitas non potest continere eminenter rectitudinem, & respectio à priori est, quia vnum oppositum est destructio

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 331

Actum alterius, & expellit ab eodē subiecto illud; atqui id, quod continet eminenter aliud non solum non destruit id, quod eminenter continet, sed potius producit illud, tribuendo illi proprium esse: ergo idem non potest opponi alteri directe, & continere ipsum eminenter directe; consequentia est manifesta, quia idem non potest dare esse & destruere esse; sed si contineret eminenter, & directe opponeretur illi, posset dare esse & destruere esse simul: ergo idem non potest alteri opponi directe, & continere eminenter ipsum, cui directe opponitur.

208 Minor praecipua sic probatur; quia procedere ab extrinseco necessario, & procedere ab intrinseco necessario dicunt oppositionem inter se, unde actus vitalis, & non vitalis opponuntur; quia actus vitalis procedit ab intrinseco necessario, & actus non vitalis ab extrinseco necessario, & ratio est, quia intrinsecum, & extrinsecum ita se habent, ut extrinsecum dicat negationem intrinseci; unde albedo non potest simul intrinsece, & extrinsece constituitur idem subiectum album, ac per consequens non potest esse forma intrinseca, & extrinseca eiusdem, ut videtur est in visione, quia cum possit esse forma intrinseca, & extrinseca, non potest esse talis respectu eiusdem simul; & sic potentiam visum intrinsece constituit videntem, extrinsece autem obiectum visum; atqui voluntarium petit necessario, & ex natura sua procedere ab intrinseco & infusio gratiae habitualis, quia supernaturalis habitus primus in ordine supernaturali, tanquam supernaturalis essentia; ac prima radix omnium operationum; & proprietatem supernaturalium petit non procedere ab intrinseco à subiecto, in quo est, sed solum extrinsece à Deo; tanquam à causa principali supernaturali infundente illam: ergo voluntarium, & gratiae infusio dicunt oppositionem inter se.

Dices, quod licet tunc voluntas non retractet peccatum transactum, neque se mutet circa obiecta praeterita, nihilominus Deus per habitus ipsos eam vnit obiectis à quibus antea auersa erat & auertit ab his, ad quae erat conuersa, & ita vicem actus supplet, licet nec formaliter, neque eminenter contineat rationem voluntarietatis quae est in actu.

209 Sed contra; quia si peccatum prius commissum semper manet voluntarium, etiam si actu praecesserit per solum infusionem habituum, non poterit fieri inuoluntarium aut magis non voluntarium, quam antea erat, cum infusio habitus neque formaliter, neque eminenter sit voluntaria: ergo si propter rationem voluntarij erat irremissibile, etiam per infusionem habituum remitti non poterit sine actu; consequentia clara est, & probatur antecedens; quia ipsa infusio habitus non est voluntaria, quia fit sine actu, & sine consensu recipientis, ut supponitur: ergo per illam praecise expectata non potest mutari voluntas, à priori voluntario, in quo perseverabat; quia voluntarium non tollitur per mutationem nisi illa voluntaria sit eo vel maxime; quod illa mutatio per habitus contraria dici non potest priori voluntarij, quia illa tantum voluntaria dicitur esse quasi actualis ex vi praeteriti actus. Item illa mutatio per habitus tantum est physica, altera conuersio, vel auersio manens ex priori peccato, est moralis; unde non opponuntur, cum sint diuersorum ordinum absolute, ac simpliciter. Praeterea quia illa mutatio per habitus fieri posset etiam in homine actualiter peccante, nulla facta mutatione

I. P. Tom. II.

in ipso voluntario praesentis actus: ergo maiori ratione nulla fiet mutatio in voluntario relicto ex praecedenti actu, ex vi solius infusionis habitus, & mutationis physicae, quae per illam fit.

Denique remissio peccati, si fieri posset per solum infusionem gratiae habitualis in essentia animae, etiam si virtutes non infunderentur potentiis, tunc autem voluntatis conuersio vel auersio à prioribus obiectis non mutaretur etiam physice, quia voluntas non coniungitur obiectis physice, ac permanenter nisi per habitus sibi inherentes; sola autem gratia infusa in animae essentia praecise spectata, non est retractatio prioris peccati, cum non sit actio libera, nec voluntaria: ergo vel ad remissionem peccati non est necessaria illa mutatio in ratione voluntarij, vel si est necessaria per aliquem actum proprium eius facienda est, & ita falsa est doctrina ipsorum aduersariorum de possibili remissione per solum infusionem habitus, atque ita nonnulli defensores contrariae opinionis, ut consequenter loquantur, ab illa doctrina recedunt dicentes non solum non posse peccatum remitti, etiam per habituales gratias infusas sine aliquo actu peccatoris, quo formaliter, vel virtualiter peccatum prius commissum detestetur utique vel per aliquam displicentiam prioris peccati, vel per amorem Dei, vel per voluntatem redeundi in Dei amicitiam, vel acceptandi gratiam eius, si offeratur, vel saltem remissionem eius; ut tollatur voluntarium actuale, quod remanet physice in peccatore.

Sed contra hanc etiam solutionem sic arguitur: 211 mentor; nam totum fundamentum huius necessitatis est actuale voluntarium; quod manet relictum à praeterito actu voluntatis; sed hoc fundamentum est falsum: ergo id, quod in eo fundatur, Minor sic patet; quia vel illud voluntarium, quod actu est relictum ab actu voluntatis praeterito, est actu intrinsecum, & intrinseca denominatio physica, vel extrinsecum; & extrinseca denominatio actualis, sed neque potest esse physice actu intrinsecum: ergo non manet voluntarium actu physice. Minor sic patet; quia quando actu non est ratio formalis physica intrinsece, vel extrinsece, non potest dari actu effectus formalis physicus formalis intrinsecus, vel extrinsecus, aut denominatio intrinseca, aut extrinseca actu; sed actu non existit actus voluntatis (qui est ratio formalis illius voluntarietatis, quae ponitur ab aduersariis) aut extrinsece, aut intrinsece: ergo actu non datur voluntarium extrinsecum physicum, aut intrinsecum, ac proinde actu non dabitur denominatio voluntarij aut extrinseca, aut intrinseca, transacto peccato.

Major est evidens, tum inductione tum à priori, inductione, quia album, verbi gratia, quod intrinsecum concretum est, seu intrinseca denominatio non potest esse actu, si albedo non sit intrinsece actu in subiecto; item materia prima non potest dici animata actu intrinsece, si anima actu intrinsece non sit in illa, quod etiam patet in concretis extrinsecis; unde paries non potest dici visus, intellectus, & amatus actu, aut actu dexter, quae sunt denominationes extrinsecae, si actu non detur visio extrinsece existens extra parietem, respiciens tamen actu ipsum & sic de ceteris; unde ex eo solum quod crastina die futura sit visio, vel heri extiterit, si actu non existit, non potest actu denominare parietem, sicut neque dexteritas, quae heri fuit, & hodie non est, non potest actu denominare dexterum parietem.

T t 2 Et

332 Disputatio XIX. De voluntate Dei.

Et ratio evidens à priori est, quia effectus formalis constituitur essentialiter à forma, cuius effectus formalis est, quare forma non solum est essentia, sed etiam de essentia effectus formalis; sed res non potest esse actu sine sua essentia actuali; quia definitio essentiae hæc est, primum, & intimum constitutum rei, sine quo nec esse, nec intelligi potest ipsa: ergo effectus formalis non potest esse actu sine actuali forma; ita ut si sit effectus formalis extrinsecus actualis nullo modo sit, neque possit esse sine sua forma extrinseca actuali; & si sit effectus formalis intrinsecus actu non possit esse sine actuali forma intrinseca; unde corrupta actu forma necesse est ut actu corrumperetur, & non sit id quod constituitur essentialiter per illam, scilicet effectus formalis illius. Minor illa præcipua sic probatur.

213 Quia actus voluntatis actu non est, sed potius corruptus est, & præterijt omnino: ergo actu non est, neque intrinsece, neque extrinsece in voluntate voluntarium physicum, quod est effectus formalis talis actus.

214 De intrinseca existentia patet manifeste ex corruptione, quam ipsi aduersarij supponunt siquidem dicunt manere hoc concretum seu hic effectus formalis, voluntarium nimirum actu relictum ex actu peccaminoso voluntatis omnino destructo, corrupto, & præterito: ergo actu intrinsece non existit.

215 De extrinseca existentia actuali evidentius patet, quia omnis denominatio physica extrinseca, in aliquo debet esse intrinsece physice actu, ut patet in visione, quæ si extrinseca est respectu obiecti intrinseca est respectu potentie, quod patebit discurrenti per omnia, quod non contingit in actu voluntatis, qui nullibi intrinsece est, postquam destructus, & corruptus est. Deinde quia cum actus voluntatis sit intrinsece, & ex se essentialiter actus vitalis, & immanens, si actu est intrinsece, debet esse in principio, & potentia, à qua fluit, & ex illa denominare extrinsece obiectum; atqui actus præteritus non est intrinsece in voluntate: ergo non est extrinsecus respectu alicuius; vnde prior illa denominatio peccati, & macula non manet vere, & proprie physice voluntaria de præterito, quandiu per contrarium actum non retractatur, sed solum est verum dicere fuisse voluntariam, non autem esse actu, ac proinde non satis est, ut dicatur de præterito velle homo, quod antea voluit, nec actualiter, nec virtualiter, quia non est principium virtuale voluntarium sine aliquo actuali physico formaliter, in quo virtualiter includatur, virtuale enim in formali continetur; non enim potest calor virtualiter contineri, nisi in pipere formaliter, & actualiter tali, & conclusio non continetur virtualiter, nisi in præmissis actualibus formaliter, neque actus scientificus continetur virtualiter actu, nisi in habitu formaliter actu, & formaliter existente; sic similiter non potest dari actu virtualiter voluntarium physicum, nisi detur actu physico formale aliquod actu, in quo virtualiter actu contineatur, ut est aliqua consideratio, v. g. vel voluntas actualis, quæ virtualiter aliam contineat: igitur eo ipso quod omnino cessat quis ab actuali peccato, incipit ipsi peccatum esse non voluntarium.

216 Quod si quis contendat manere voluntarium habitualiter, dico permanentiam habitualem, seclusa omni reali qualitate, seu dispositione, nihil esse, nisi denominationem præteriti voluntarij, & non actualis, quod minime contra nos est.

Ultimo respondent aduersarij, non existere illud voluntarium Physice, sed moraliter, ut est iniuria, & macula.

Contra, & reddit totum argumentum meum supra factum, scilicet quod quando aliquid ens morale est, ad hoc, ut destruat, non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed sufficit mutatio moralis in subiecto in quo destruitur: ergo ad destruendum illud voluntarium quod moraliter tantum manet non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed solum moralis.

* Quod amplius explicatur, quia moralis permanentia tantum esse potest secundum quandam imputationem, quæ tantum durat moraliter, vel ratione iniuriæ cui est coniuncta, tanquam accessorium principalem, vel propter reatum pene, cui homo manet obnoxius; tamen quia & Deus potest iniuriam suam condonare, & multo facilius penam remittere, & consequenter non solum non inferre penam, sed etiam tollere obligationem illius, tanquam supremus dispensator, & iudex, ideo potest voluntate sua omnino tollere habituale peccatum quacunque ratione expectatum, non exigendo ab homine, actu quo peccatum commissum fiat involuntarium, sed spectando solum, ut iam non sit voluntarium quod per solam cessationem ab actuali peccato sine aliquo actu posito contrario esse potest.

SVBSECTIO II.

Argumentum principale ponitur quo amplius confirmantur dicta.

Quia Deus poterat per potentiam absolutam non eleuare hominem ad ordinem gratie per dona supernaturalia diuina providentia præparata, sed solum hominem creare in pura natura; atqui in pura natura posset remittere peccatum in tali statu commissum sine mutatione intrinseca physica peccatoris: ergo absolute potest Deus tollere, & destruere peccatum per potentiam suam absolutam sine tali mutatione physica; Maior est certissima, neque à Doctoribus potest in dubium reuocari in casu, de quo loquimur, per absolutam nimirum potentiam Dei; clarius enim est hoc non repugnare, cum Deus absolute loquendo libere conferat huiusmodi dona supernaturalia: vnde sicut libere dedit, potuit non dare, & sicut eleuauit, & ordinauit, potuit non eleuare, & ordinare ad finem supernaturalem omnino indebitum creaturis sic ordinatis, & eleuatis; quia ad tantam liberalitatem nulla necessitate cogitur, qui ut infinitus Deus supra omnem necessitatem, & coactionem existit.

Minor illa, in qua est difficultas, sic probatur, quia si esset in illo statu necessaria mutatio intrinseca physica, aut deberet esse per alicuius entitatis supernaturalis infusionem, aut per acquisitionem entitatis naturalis; sed neutra esset necessaria: ergo nulla. Minor quoad supernaturalem entitatem sic probatur; quia Deus est infinite misericors, & potens intra ordinem naturæ sine eo quod consideretur intra ordinem gratiæ: ergo est sufficiens ad vincendum, & destruendum peccatum intra ordinem naturæ; sed si non posset destruere peccatum, nisi infundendo gratiam, & supernaturalem entitatem, non esset sufficiens in ordine naturæ ad delendum peccatum, ac proinde non esset in ordine naturæ infinite misericors, & infinite